

Nf. 16.



13d

OGDOADIS DISSERTATIONVM
DE

HAERESIOLOGIA

SECVLI POST CHRISTVM NATVM PRIMI
ET SECVNDI,

QVINTA
DE

GNOSTICIS,

PRAECIPVE

VALENTINIANIS,

ET

RELIQVA ISTORVM COLLVIE:

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

DIE

IVNII HVIVS MDCCXXV ANNI,

PRÆSIDE

D. IOACHIMO LANGIO,

S. THEOL. PROFESS. ORDIN.

publicæ disquisitioni subiicit

RESPONDENS,

IOANNES HENRICVS BOECKER,

HATTNEGENSIS MARCANVS.

S. THEOL. CVLTOR.

HALÆ MAGDEB. TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

OGDOVADIS DISSERTATIONVM
OR
HARRESIOLOGIA
SECVLI POST CHR. LV. NALV. RVM
QVINTA
GNOSTICIS
VALENTIANIS
ET
REBVOA HISTORVM COLLVBER
IN REGA. KADIVONIA
D. JOACHIMO LANGIO.
IOANNES HENRICO BOEKER
HARAE MAGDB. YVBE CHRISTIANI HINCKELI ACAD. PTE





PROLEGOMENA.

1.



Nosticorum nomen

hæreticis, aliisque spiritibus deceptoribus (vt phrasi utar Paulina i Tim. IV, 1.) nimirum omnibus illis, quorquot seculo secundo, iactata singulari mysteriorum diuinorum *γνώσει*, seu *cognitione*, illa

ipsa vna cum salutis ordine variis modis corruperunt, conuenire, & ab hæresiologis antiquioribus etiam datum esse, ipsorum monumenta excutienti est manifestum.

2. EPIPHANIVS quidem *Gnosticis* hæresin adsignat peculiarem, numero vigesimam sextam, seu sextam post Christum natum; & eos, qui re ipsa Gnostici fuerunt, aucto hæreticorum ac hæresium numero, deinceps sub peculiarium sectarum nominibus recenset; eumque secuti sunt plures alii e priscis & recentioribus. Sed vt alias, ita etiam in his, errasse Epiphanium, res ipsa docet, in ipsius narratione, & in aliorum monumentis conspicua.

A 2

3. Re-

3. Rectius hic sentit THEODORETUS, hæreticorum veterum prudentissimus: quippe qui in suis Hæreticarum, quas vocat, fabularum libris nullum *Gnosticis* locum peculiarem tribuit, non nescius, plurimum hæreticorum nomen illud fuisse commune.

4. Gnostici etiam aliis insigniti sunt nominibus. Et inter ea turpitudinis notam habet illud *Borborianorum*, seu *Borboritarum*, sic dictorum ἀπό τῶν βορβορέων, a cœno impuratum (2 Pet. II, 22.) in quo eorum plurimi hæsisse perhibentur. Vide EPIPHANIVM Hæref. XXVI. n. III. Vnde AVGVSTINVS de Hæresi c. VI. ait: *Non nulli eos etiam Borboritas vocant, quasi canosos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur.* De aliis Gnosticorum nominibus, sed obscuris & originis ac notionis incertissimæ, v. g. illis *Coddianorum*, *Phibionitarum*, *Barbelitarum*, *Syratoticorum* &c. videatur cel. THOMAS ITTIGIVS in Dissertatione de Hæresiarchis.

5. TERTVLLIANVS vero in *Scorpiaco* suo, seu libro, quem Gnosticis iis, qui martyria detrectabant, opposuit, nomine isto videtur notare voluisse antidotum, quod venenatis Gnosticorum, tanquam *scorpionum*, morfibus medeatur.

6. Gnosticos vero seculi secundi infaustam esse propaginem scholæ *Cerinthianæ* & *Nicolaiticæ*, quæ ecclesiam seculi primi infestavit, præcipue in oriente, res ipsa indicat, maxime in pseudophilosophiæ Iudæorum *Kabbalisticæ*, nec non diuersarum gentium & sectarum Græcanicæ, barbaricæ, Orphicæ, principiis falsis temere adscitis, & mira confusione inter se digestis, ac cum

nonnullis religionis christianæ capitibus nefarie commixtis. Quod doctrinæ chaos si recte consideretur, Gnosticorum plurimi potius religionis christianæ em-pæctis, quam hæreticis proprie sic dictis, annumerandi esse videntur.

7. Quæ cum sit Gnosticæ hæreseos forma informis deformisque, mirum non est, in istius descriptione apud veteres ac recentiores hæresiologos confusa esse omnia, & Gnosticorum nugamenta non melius cohærere, quam ægræ mentis somnia.

8. Cum vero Gnosticorum famosiores fuerint *Valentiniani*; de his primum erit agendum: deinde de iis, qui in reliqua istorum colluie præ aliis innotuerunt.

9. Iam quidem hisce ipsis etiam annumerandus est MARCION cum asseclis suis: quia vero in horum notatione constitui simul nonnulla lectu dignissima, quæ TERTVLLIANVS in eorum confutatione nobis reliquit, exhibere; hanc tractationem differam ad Dissertationem sequentem; quippe quæ eodem modo de PRAXEA & HERMOGENE ad ductum eiusdem TERTVLLIANI aget. Quod institutum meum lectorum ædificationem habet pro scopo, in aliquam tædiorum, quæ hæresiologia hæc per se ingrata obiicit, compensationem.

10. Ceterum hic conferenda sunt ea, quæ iam Dissertatione II. de *Gnosticis seculi primi* dicta sunt.

MEMBRVM I.

DISSERTATIONIS

DE

GNOSTICIS

SECVLI P. C. N. SECVNDI

MEMBRVM I.

DE

VALENTINIANIS,

TANQVAM GNOSTICORVM PRÆCIPVIS.

Σύνοψις.

Valentini patria est incerta §. I.

Aetate vero certior §. II.

Occasus discessus ab ecclesia am-

bitio §. III.

Commorationis locus primum Ae-

gyptus, deinde Italia §. IV.

Vbi Valentinus non solum vana vo-

ce, sed scriptis etiam errores suos dis-

seminavit. §. V.

Dogma Valentinianorum præcipu-

um fuit commentum de triginta ae-

onibus: quorum alii primarii §. VI.

alii secundarii §. VII. VIII.

Huc accedunt fabule de mundi vi-

sibilis origine & substantiarum vari-

etate §. IX. & errores de diverso ho-

minis statu §. X.

Item is de negata resurrectione cor-

porum & corrupta formula baptismi,

cum barbarum vocum usu §. XI.

Origo errorum in Valentinianis

præcipue arcessenda est e pseudophi-

losophia Iudeorum Kabbalistica. §.

XII. XIII. quæ iam tum sæculo primo

ecclesie fuit infesta. §. XIV.

Subiungitur notatio præcipuorum

Valentini discipulorum & sceleratorum

§. XV. XVI.

Quorum vita fuit impura & sta-

ginitio a doctrinis impurissimis conue-

niens §. XVII.

Vbi locus aliquis Ivenei aliquot ob-

servationibus illustratur §. XVIII.

Addita observatio de neuis quo-

rundam hæresiologorum veterum §.

XIX.

§. I.

Patria Valentini incerta est: EPIPHANIO tamen hæres. XXXI. n. 2. ex auditione aliqua videtur fuisse ora quædam Aegypti. Et, teste eodem, Valentinus Alexandriae literarum studia, præcipue philosophica, excoluit: nec vulgarem

rem ingenii ac eruditionis, vniuersam veræ ac solidæ, laudem est affecturus. Conf. HIERONYM. in Cap. X. Hof. vbi *Valentini & Marcionis* exemplis confirmat, hæresin non nisi ab iis qui ardentis ingenii & sagacioris naturæ donis instructi sunt, adstrui posse.

§. II.

De *ætate Valentini* constat ex illo IRENAEI loco L. III. c. 4. *Valentinus venit Romam sub Hygino, crevis vero sub Pio, & prorogauit tempus vsque ad Anicetum. Vixit itaque temporibus Antoninorum, & maxime innotuit post seculi secundi medium. Eiusdem & affectarum ipsius iam mentionem iniecit IVSTINVS in Dialogo cum Tryphone* Opp. p. m. 253. *Eorum quidam, inquit, sunt, qui vocantur Marcionitæ: quidam vero Valentiniiani, Basilidiani, Saturniliani, & alii alio prædii nomine, a principe sententiæ quisque nomen obtinens.* Conf. de eodem Valentino TERTULLIANVS de *Præscrip. heretic.* c. XXX. IGNATIUM vero in *epistola ad Magnesios* voce *στυγῆς* ad Valentinianos, vtpote eo tempore nondum exortos, haud respicere, ex iis etiam liquet, quæ Dissert. III. membro I. §. III. de genuino eius vocis & loci sensu dicta sunt. Ceterum de *ætate Valentini* videatur PEARSON, in *Vindic. epist. Ignat. P. II.* c. 7. DALLAEVS de *scriptis Ignatii* c. 12. & qui horum sententiæ recenset, vir celebr. IO. FRANCISCVS BVDDEVS in *Dissert. de hæresi Valentiniiana* §. III. in libro de *Philosophia Hebræorum* p. 414. seqq. Cuius vero religionis parentes fuerint Valentini, nusquam indicatum inueni, nisi quod TERTULL. Libro de *Præscrip. hereticarum* c. 30. ipsum *Platonice philosophiæ sectatorem* vocat.

§. III.

Religionis christiænæ dogmata Valentinus non videtur vnquam recte per omnia cognouisse, multo minus sincere eam amplexus fuisse. Vt vero a puriore christianorum
cetera

coetu palam deficeret, ac sectam constitueret peculiarem, effecisse dicitur *ambitio*, qua episcopatum expetierit, sed non obtinuerit, ideo in reprobam sensum actus: uti auctor est TERTVLL. Libro contra *Valentinianos* c. 4. *Sperauerat*, inquit, *episcopatum* (cuius vero ecclesiam, non commemoratur) *Valentinus*; quia & ingenio poterat & eloquio. Sed alium ex martyrii prerogatiua loci positum indignatus, de ecclesia authentica regule abruptis, (ut solent animi pro prioratu exciti presumptione ultionis accendi) ad expugnandam conuersus veritatem. A nemine tamen veterum id confirmatum legimus.

§. IV.

Docuit Valentinus primum, ubi didicerat, h. e. in *Aegypto*, secundum EPIPHANIUM Hæres. XXXI. n. 7. Deinde *Romæ*, quorum, teste IRENAEO L. III. c. 4. sub Hygino venit. Hic vero cum Marcione dogmatum suorum prauitate infecit multos, quos, ut IRENAEVS L. III. c. 3. tradit, Polycarpus, qui sub Aniceto Romam adierat, ab errore liberatos ad ecclesiam catholicam reduxit. Et sic detectus vna cum Marcione (uti TERTVLLIANVS Libro de *prescripti hæret.* c. 30. auctor est,) semel & iterum eiectus, & nouissime in perpetuum discedium (ut TERT. ait) relegatus est. Animum vero, Roma digressus, cum loco mutauit neuitquam; sed, in Cyprum profectus, coeptam hæresin quasi absoluit, teste EPIPHANIO Hæres. XXXI. n. 7. Confer PHILASTRIUM cap. XXXVIII.

§. V.

Propagauit autem hæresin suam Valentinus non solum viva voce, sed scriptis quoque. Quæ tamen singula interciderunt. Quod fatum scriptis hæreticorum omnibus est commune. Psalmos Valentinum conscripsisse, ex his TERTVLLIANI verbis L. I. de *carne Christi* c. 20. colligas: *Nobis quoque ad hanc speciem Psalmi patrocina-*

tur,

tur, non quidem apostata & heretici, & Platonici Valentiniani, sed sanctissimi & receptissimi prophetae David. Epistolas quoque & homilias edidisse Valentinum, ex earum colligas fragmentis, quæ CLEMENTIS Alexandrini *Stromata* passim exhibent, collecta & edita a IO. ERNESTO GRABIO in *Spicilegio Patrum* Tom. II. p. 50. seqq. Huc etiam pertinet Valentini Dissertatio, cuius fragmentum videas apud ORIGENEM in Dialogo contra Marcionem Sect. IV. apud GRABIVM c. l. p. 55. seqq. Ille vero liber, cuius fragmentum apud EPIPHANIVM Hæres. XXXI. n. 5. & 6. legitur, Valentiniani potius alicuius sectatoris est, quam ipsius Valentini. Vid. PEARSON. *Vindic. epist. Ignat.* P. II. c. 5. Sunt etiam, qui existimant, Valentinum scripsisse librum, *Sophie* nomine inscriptum, his moti verbis TERTVLLIANI L. aduersus Valentinianos c. 2. *Facies Dei spectat in simplicitate querentes, ut docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis.* Enim vero auctor potius ad iactatam Valentini sapientiam, de qua in antecedentibus agit, quam ad peculiarem aliquem eius librum respicere videtur. A qua huius loci interpretatione nec doctissimum P. GEORGIVM Ambianatem in *Tertulliano suo rediuiuo* alienum esse video.

§. VI.

Dogma Valentinianorum præcipuum fuit decantatum illud veteribus commentum, seu nugamentum, de *triginta æonibus*, & diuersis eorum *classibus, syzygiis, ac generationibus*, seu diuersa eorum *genealogia*. Et horum Aeonum, in quibus *Dei attributa* respexisse videntur, alii illis erant primarii, alii secundarii, *Primarii* primam constituebant classem, siue *primigeniam ogdoadem*, tanquam omnium rerum fundamentum ac radicem. Primigenia hæc ogdoas constabat *duplici tetracty*, seu quadriga: quarum quælibet duas habet *syzygias*. *Prima detractys*, tanquam authentica & primordialis, ipsis constabat *syzygia Dei inuisibilis,*

B

tempo.

sempiterni & ingentis, qui etiam *Proarchon*, *Propator*, & *Bythius*, siue profunditas, dicebatur; & *Ennoia*, siue cogitationis, quæ etiam *Sige*, Silentium, & *Charis*, Gratia, dicitur: nec non *syzygia Mentis*, quam, tanquam vnigenitum, & Patrem & omnium initium, Gratia, suscepto a Bythio semine, genuisse dicitur, & *Veritatis*. *Alterra Tetractys* habebat *syzygiam Logi*, seu verbi, & *Vitæ*, ex mente & veritate exortam; & *syzygiam hominis ac ecclesie*, e Logo & Vita productam.

§. VII.

Secundarii Aones, e primariis istis, & quidem e posteriore Tetracty, seu Terrade, orti, erant viginti & duo, syzygia Verbi & Vitæ decem, syzygia autem hominis & ecclesie duodecim ex se producente, & numero æonum tricenario sic completo, Nomina vero Aeonum classis secundæ sunt: *Bythius*, *Misio*, *Ageratum*, *Henosis*, *Autophye*, *Voluptas*, *Immobilis*, *Synonosis*, *Unigena* & *Macaria*: classis tertiæ hæc: *Paracletus*, *Fides*, *Paternus*, *Spes*, *Maternus*, *Charitas*, *Ainus*, *Intelligentia*, *Ecclesiasticus*, *Felicitas*, *Theletus*, *Sapientia*. Integrum vero complexum æonum vocabant *Pleroma*. Ubi tamen notandum est, non eandem apud Valentinianos fuisse æonum dispositionem & genealogiam. De qua diuersitate inter alios videatur PEARSONIUS in *Vindicis* epist. Ignat. Part. II. c. V. Ipsa vero hæc somnia operose enarrata legas apud IRENAEVM L. I. c. 1. 5. & 6. TERTULLIANVM Libro aduersus Valentinianos c. VII. & VIII. EPIPHANIVM Hæres. XXXI. (qui vero Aeonum nomina habet peregrina & barbara ex Hebræis deprauata) & AVGVSTINVM de Hæresibus c. XI. THEODORETVM Hæres. fabul. L. I. c. 23.

§. VIII.

Singularis vero est *ἡγεμονία*, quam de *Sapientia* Aeonum ultima & de Iesu Christo nectunt. *Sophia* enim secundum Valentinianos desiderio cognoscendi *Bythum* adeo flagra-

flagrauit, ut ab eius luce fuisset absorpta, nisi intercessisset *Horus*, siue terminus, etiam *Crux*, *Iesus*, & *Redemptor* dictus. Sapiaentia tamen, desiderio *Bythum*, tanquam Patrem, cognoscendi grauida facta, peperit *Enthymeseu*, seu *Achmoth* (rectius *Chochmoth* Hebraice) substantiam informem, ignorantiae, timorisque ac tædii plenam, eamque extra *Pleroma* in illud regressa reliquit. Ex *Mente* uero noua dicitur prodiisse *Aeonum* syzygia, *Christus* *Aeonas* docturus, Patrem esse incomprehensibilem, & *Spiritus Sanctus*, *Aeonas* ad laudes Patris quietem inter se colendam adducturus. Et cum horum *deliriorum* nondum esset finis, *Aeones*, ita inter se ad quietem & æquitatem redacti, singuli optimam sui partem eo contulisse dicuntur, ut inde prodiret *Iesus*, qui inde exortus (ex abusu loci *Col. II, 9.*) omnium *Aeonum* *pleroma*, seu perfectiones & nomina, speciatim *Verbi* & *Christi*, a quibus originem acceperit, continere, & angelos, simul cum ipso productos, satellites accepisse perhibetur. Videatur, præter auctores ueteres iam allegatos, COLBERGIUS *Libro de origine & progressu errorum ac heresum c. IV.* Hæc de mundi invisibilis ortu secundum *Valentinianos*: quorum etiam pertinent ea, quæ de ortu diaboli & malignorum spirituum fabulantur: utpote quem ab infelici illo *Sophiæ* abortu, *Achmoth*, arcessunt. Vtrum uero *Valentiniani* duo rerum principia statuerint, vnum bonum, alterum, malum, disquisitum videas a cel. *BVDDEOL. c. §. IX.*

§. IX.

Non minus fabularum consæuerunt de mundi visibilis origine & substantiarum uarietate, quam a substantia illa informi, *Sophiæ* filia, *Achmoth* dicta, & extra æonum *pleroma* in tenebris relicta, deriuarunt, ita ut inde triplex substantiarum genus, *spirituale*, *animale* & *materiale*, exortum sit. De quibus ineptiis præter ueteres, *IRENAEVM* *TERTVLLIANVM*, *EPIPHANIVM*, videatur *IO*

FRANC. BVDDEVS in Dissert. de hæref. Valent. § VII. Quæ de triplici hominis parte, terrena, animali & spiritali, secundum eosdem tradiderunt Valentiniani, sanioribus quidem videntur esse propiora, multis tamen fabulis itidem permixta sunt.

§. X.

De origine *Christi* ex æonibus arcessita iam vidimus. De quo quid præterea senserint Valentiniani, pluribus traditum videas a veteribus. Doctrinæ de Christo substernebant dogma de hominis miseria, in eo collocata, quod homo spiritalis vna cum animali corpori esset inclusus & a terrena eius mole oppressus. Quo supposito officium Saluatoris in eo statuebant, vt parte hominis spiritali ab animali & corporali liberata, seu repurgata, ipsum totum in primæum statum restitueret. Adferebant vero, Christum, hunc in finem missum, fuisse animalis & spiritalis naturæ, & corpore quidem e cælo secum allato vestitum, at expertem tamen naturæ terrestris, vtpote natum quidem ex Maria virgine, sed ita, vt per eam, tanquam aqua per canalem, transierit in mundum ad spectabilem; addentes, super illum, tanquam *Christum* animale, demum in baptismo descendisse *Iesum*, ex Pleromate allatis secum omnibus Aeonum perfectionibus, & eundem a Christo animali, cum is ad Pontium Pilatum duceretur, iterum discessisse: atque ita non simul hunc Iesum, sed istum Christum solum esse passum, cum spiritalis eius substantia perfectionum haud fuerit capax. Vide hæc & cognata doctrinarum *βδελύγματα* apud IRENAEVM, aliosque veteres locis iam citatis & pluribus aliis. Prolixius hæc pertractantes vide inter alios FLEVRIVM in Hist. eccl. Tom. III. p. 344. seqq. DANHAVERVM in Christeide p. 518. seqq.

§. XI.

Valentiniani, teste TERTVLLIANO, de *prescriptione aduersus hæref.* c. XLIX. etiam corporum resurrectionem

nem negarunt. Id quod tamen secundum EPIPHANIVM HæR. XXXI. tantum de hominibus *materialibus* & terrenis, quos vocabant, intellexerunt, statuentes, eos interire funditus, nulla ipsorum parte remanente; reliquos vero, nimirum *spirituales* & *animales*, etiam *διαιτητικῶς* sic dictos, accipere corpus novum ac spirituale e pristino ortum. Quomodo *formulam baptismi* & ipsam ad christianismum initiationem mutatam corruerint, *barbarisque vocibus* vsi sint, vide apud IRENAEVUM L. I. c. XVIII. vbi ait: *Alii adducunt ad aquam, & baptizantes ita dicunt: in nomen incogniti patris omnium; in veritatem matrem omnium; in descendentem in Iesum ad vnitorem & redemptionem & communionem virtutum.* Alii autem & *Hebraica nomina* superantur, *vt supori sint, & perterreant eos, qui sacrantur, h. e. Basyma, Cacabasa, Eanaa, irraumista, diarbada, caeota, basobor, camelansibi, &c.* Quarum vocum, e vocabulis Hebraicis ac Syriacis detortarum, explicationem vide in editione IRENAEI Grabiana, e dissertatione RHENFERDII allatam. Nolo hisce doctrinarum portentis ac spinis diutius immorari, lectore meo ad fontes allegatos remisso, inprimis ad librum TERTVLLIANI de Valentiniis.

§. XII.

Origo errorum apud Valentinum & affectas a veteribus ad philosophiam diversarum sectarum refertur. Vide IRENAEVUM L. II. c. LVIII. & TERTVLLIANVM de præscript. aduersus hæreticos c. VII. Non quidem negari potest, hos hæreticos cum singulis philosophorum sectis quædam habuisse communia; inprimis vero cum Pythagoræa & Platonica. At huic, aut isti, originem suam, præcipue debere hanc hæresin, demonstrari nequit; quidquid hic laborauerit COLBERGIUS *in libro de origine & progressu hæresium*; vt recte monet vir celeberrimus, IO. FRANCISCVS BVDDEVS, in *Dissertatione de hæresi Valent.* §. XIV. EPIPHANIVM vero multo adhuc magis a

vero aberrare, quando Hæref. XXXI. cum IRENAEO L. II. c. XIX. æonum natales ad fabulas poëtarum Græcorum de *Θεογονία*, seu deorum generatione refert, recte obseruauit DION, PETAVIVS, in *Notis ad Epiphan.*

§. XIII.

Res potius ipsa ostendit, totum Valentinianæ doctrinæ systema ortum suum debere *pseudophilosophiæ Iudeorum Kabbalisticæ*. Id quod a BVDDEO c. I. §. XV. euctum videas, instituta comparatione vtriusque philomoriæ. Kabbalisticum vero studium, in traditionum abusu & fictione positum, cum antiquissimum sit; vtpote in scholis Phariæorum iam ante & circa tempora Christi ac Apostolorum excultum: facile liquet, errores Valentinianorum iam fuisse ante Valentinum & eius sectatores: & vix superesse potest dubium, eos notatos esse a Paulo Col II, 8. vbi *traditio hominum pseudophilosophiæ* iungitur; & I Tim. I, 4. vbi fideles auocantur a *fabulis & genealogiis* (quæ vox etiam a patribus de æonibus Valentinianorum vsurpari solet) *infinitis*, plus quæstionum, quam ædificationis, parientibus: item I Tim. VI, 20. vbi iactata semichristianorum philosophia profana *νεοφωρία & γνώσις Πευδάνυμος*, antithesibus laborans, vocatur. Et plane Kabbalistarum more ad traditionem prouocasse Valentinianos, perhibet IRENAEVS L. III. c. II. *Cum ex scripturis arguuntur*, inquit, *in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his, qui nesciant traditionem.* Non enim per litteras traditam illam, sed per viuam vocem, ob quam causam & Paulum dixisse: sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam autem non mundi huius - - Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, prouocamus eos, aduersantur traditioni. *u. r. λ.* Ex quo loco liquet, Valentinianos, genuina traditione re-

pudia-

pudiata, falsam sectatos esse. Non nulla vero, immo a nonnullis Gnosticis haud pauca, doctrinarum portenta etiam e pseudophilosophia orientalium & Græcorum, vna cum impuritate Orphica & Eleusiniis sacris, adsumta esse, non est dubium.

§. XIV.

Fuerunt certe Valentiniani infelix quædam propago illorum *Gnosticorum*, quos iam suo tempore Paulus notauit in epistola ad Timotheum; & ad quos etiam aliis in locis supra Dissertatione I. & II. consideratis respicit. Qui quemadmodum ex Iudæis erant exorti: sic studium suum Kabbalisticum ad religionem christianam transtulerunt, nec Iudæi amplius, nec christiani, sed *spiritus heterogenei* & anomali, singularis *γνώσεως* opinione inflati. Et in Gnosticorum, quos hoc seculum secundum habuit, colluue Valentinianos fuisse præcipuos, & sibi ipsis superbiens Gnosticorum nomen vindicasse, auctor est EPIPHANIVS hæres. XXXI. n. 1. *Ad Valentinianorum*, inquit, *qui sibi ipsis Gnosticorum nomen imposuerunt, hæresin confutandam me consero.* - *Omnes se communi appellatione Gnosticos dici voluerunt, Valentinus & qui illum Gnostici præcesserunt.* Item: *Ipsam imprimis hæreseos caput ac tragædiæ auctorem adgrediar: Valentinum intelligo, Valentiniæque dogmata, quæ a speciosa illa Gnosticorum professione prodierunt.* Vbi obiter notari velim, Epiphanium n. 2. *Cerinthum ac Merinthum* pro duobus habere hæreticis, cum tamen Cerinthus per indignationem vocatus sit *μηνιδος*, h. e. funiculus, laqueus; uti iam supra Dissertatione III. est obseruatum. Idem iam ante Epiphanium de Valentinianis, scilicet eos *Gnosticos* esse, & antiquiorum Gnosticorum dogmata adoptasse, notauit IRENAEVUS L. I. c. V. L. II. c. XVIII. Idem vero auctor Gnosticos antiquiores ad Simonis Magi scholam refert L. I. c. XXXII. Conf. PEARSON, in *Vindictis epist. Ignat.* Part. II. c. VI. De *fastu* autem Gnosticorum, cum singularis *γνώσεως*

σσως iactatione prodito, vide IRENAEVM L.I. c.IX. Conf. CLEMENT. ALEX. Strom. L.II, opp. p. 363.

§. XV.

Secutores Valentini in æonum constitutione & expositione nonnullis in partibus a magistro suo discesserunt; novas tamen sectas, vt quibusdam veterum & recentiorum visum est, non condiderunt. Præcipui eorum fuerunt *Secundus, Ptolemæus, Marcus, Heracleon, Colarbasus, Florinus, Blastus & Theodotus*, pseudokabbalisticæ philosophiæ æstimatores inepte seduli. De singulis pauca seorsum: SECUNDVS, a quo Secundjani dicti sunt ab IRENAEO L.I. c.V. pro primo & præcipuo Valentini discipulo habetur. Dicitur hic Secundus æonas suos cum magistro suo non pro perfectionibus & operationibus diuinis, sed pro veris essentiis per se subsistentibus habuisse. Conf. de eodem TERTVLLIAN. aduersus Valentin. c. XXXVIII. PHILASTRIVM c.XL. *Auctorem Prædestinati*, a Sirmondo editi, de hæresibus c. XII. nec non EPIPHAN. Hæres. XXXII. item AVGVSTINVM ad Quod vult Deum c. XII. vbi de iis hæc habet paucula: *Secundiani hoc a Valentinianis distare dicuntur, quod addunt opera turpitudinis*. Ex quo colligitur, flagitia non fuisse communem Valentinianorum characterem. Secundianis vero ab EPIPHANIO c. I. annumerantur *Epiphanes & Isidorus*, famosa inter hæreticos nomina: De EPIPHANE videatur idem, & CLEMENS Alexandr. Stromat. L. III. opp. p. 428. ex quo loco colligas, Epiphanem rectius Carpocratianis annumerari. Conf. DODWELLVM Dissert. IV. in Irenæum: De ISIDORO vid. CLEM. Alex. Strom. L. III. opp. p. 427. & THEODORE IVS hæret. fab. L. I. c. IV. vbi is dicitur Basilidis esse filius, & patris dicta cum aliquo additamento confirmasse. Hæc de *Secundo*.

§ XVI.

S. XVI.

Pergimus ad reliquos Valentini discipulos, ὧς ἐν πα-
 ῥόλῳ considerandos:

PTOLEMAEVS, a quo Ptolemaicæ, memoratur plu-
 ribus EPIPHANIO hæref. XXXIII. Conf. IRENAEVM
 L. II. c. IV. & AVGVST. de HAERES. c. XIII. TER-
 TVLL. L. aduersus Valentinianos c. IV.

MARCUS, cuius affectæ Marcitæ, item MARCOSII,
 disci sunt, distinguendus ab eo, qui teste SULPITIO
 SEVERO histor. sacr. L. II. c. LXVI. *Priscillianistarum* hæ-
 resin in Hispaniam intulisse dicitur, præ Valentinianis aliis
 philosophiæ Iudæorum Kabbalisticæ fuit deditus, adeo ut
 symbolicam illam, quæ in lusu litterarum posita est, Se-
 phiroticæ de æonibus iunxerit. Vide IRENAEVM L. I.
 c. IX. X. XIV. TERTULL. de præscript. aduersus hæret.
 c. I. THEODOR. hæret. fab. L. I. c. IX.

HERACLEON Valentinianis annumeratur a CLEM.
 Alex. Strom. L. IV. opp. p. 502. & ab AUGUSTINO hæ-
 ref. XVI. in primis vero ab ORIGENE Commentar. in Io-
 annem, in quo commentarium ipsius in eundem Euangeli-
 stam subinde allegat, eiusque expositiones refutat. Vid.
 GRABIUS Spicilegii Tom. II. p. 82.

COLARBASUS, Marci in schola Valentini discipu-
 lus, magistri sui dogmata pressius videtur esse secutus. Vi-
 de de eo IRENAEVM L. I. c. VIII. TERTULL. de præ-
 script. aduersus hæret. c. L. THEODOR. L. I. c. XII. EPI-
 PHAN. hæref. XXXV. AUGUST. c. XV. DAMASCEN.
 de hæref. c. XXXV.

FLORINVS, aliis FLORIANVS, Romanæ ecclesiæ
 presbyter, in Valentini hæresin prolapsus, in IRENAEI
 censuram incurrit epistola exsertam. Vid. EUSEB. L. V.
 c. XX. Conf. THEODORETUM hæret. fab. L. I. c. XXXIII.
 FLORINO autem iungitur BLASTUS ab EUSEBIO ibid.
 & c. XV. & a THEODORETO c. I. De THEODOTO,
 Valen-

Valentini discipulo, vid. CLEM. ALEX. sub finem operum, ubi aliquam doctrinæ Valentinianæ epitomen e Theodoti libris exhibet. BARDESANES etiam Syrus, ex vrbe Edeffa oriundus, Valentinianis accenseri solet, sed peperam, vti suo loco demonstrabitur. Vnde facile constabit, non audiendum de eo esse AUGUSTINUM de Hæref. c. XXXV. cum aliis nonnullis ex præcipiti de eo iudicantibus. Ceterum ad Valentinianos, alias ad Encratitas, referri a nonnullis veterum solet TATIANUS. Errorum Valentini ipsum haud fuisse, certo non mansisse, expertem, inter alios testatur IREN. L. I. c. 30. & 31. Vide de eodem & reliquis Valentinianis cel. BUDDEUM in dissert. de hæref. Valent. §. XVIII. in Philos. Hebræor. p. 482. seqq. 527. seqq. item p. 553 seqq. vbi recte obseruat, veteres, & inter eos IRENAEUM, in disputationibus suis Anti-Valentinianis sæpe a recto iustæ methodi tramite aberrasse, cum hæreticorum ineptis subtilitatibus, facile vno ictu prosterrendis, non tam vere, & more apostolico simpliciter, quam subtiliter & inaniter obviam iuerint.

§. XVII.

Restat, vt nonnulla etiam de *vita* Valentinianorum addantur. Hanc inquinatissimam & flagitiosam fuisse, præcipue spurca libidine infamem, testantur veteres. Audiamus IRENAEVM L. I. c. I. p. 30. 31. edit. Grabianæ ex antiqua & barbara versione: *Intimorate omnia, quæ versantur, hi, qui sunt ipsorum perfecti, operantur, de quibus scripturæ confirmant, quoniam, qui faciunt ea, regnum DEI non hereditabunt. Etenim idolothya indifferenter manducant. Nihil inquinari ab iis putantes, & omnem diem festum eibnicorum pro voluntate in honore idolorum factum primi conueniunt, vti in nihilo quidem abstinant, quod est apud Deum & apud homines odiosum muneris homicidiale spectaculum (h. e. ne a foedis quidem spectaculis illis abstinant, quæ sunt gladiatorum, aut θηρομαχων.) Quidam autem & carnis voluptatibus insatiabi.*

tiabiliter inseruientes carnalia carnalibus, spiritalia spiritalibus reddi dicunt. Et quidam quidem ex ipsis clam eas mulieres, quæ discunt ab eis doctrinam hanc, corrumpunt; quemadmodum multæ sæpe ab iis suase, post conuersa mulieres ad ecclesiam Dei cum reliquo errore & hoc confesse sunt. Alii vero & manifeste, nequidem crubescens quascunque ad amaverint mulieres, has a viris suis abstrahentes suas nuptas fecerunt. Alii vero valde modeste initio, quasi cum sororibus fingentes habitare, procedente tempore, manifestati sunt gruidasorore a fratre facta. Et alia multa odiosa & irreligiosa facientes nos quidem, qui per timorem Dei timemus etiam usque in mentibus nostris & sermonibus peccare, arguunt quasi idiotas & nihil scientes; semetipsos extollunt, perfectos vocantes & femina electionis. Nos enim in usu gratiam accipere dicunt, quapropter & auferri a nobis: semetipsos autem proprie possidere desursum ab inenarrabili & innominabili syzygia dependentem habere gratiam, & propterea adiici eis. Quapropter ex omni modo oportere eos semper syzygiæ meditari mysterium. *κ. τ. λ.*

§. XVIII.

Prætereo lubens alia Irenæi & reliquorum hæresiologorum loca de flagitiosa vita Valentianorum Gnostico-
rum & Eleusiniis ipsorum, seu nefandis, arcanis, prolatum ex Irenæo locum tantum, aliquot obseruationibus illustraturus:

1. Manifestum est, Valentianos quandam fuisse propaginem infaustam Cerinthianorum & Nicolaitarum, quorum in Apocalypsi a Ioanne fit mentio, & ad quas Apostoli etiam aliis in locis respiciunt. Vtrobique enim, ab Irenæo & Ioanne, eadem fere eorum datur descriptio. Cui analogiæ non obstat, quod Irenæus multa adhuc alia illis tribuat dogmata. Nec enim Ioannes singula recensuit. Sufficit, ad ea iam suo tempore respexisse Apostolos passim locis Dissert. I. & II. productis. Et quis negaret, matæologiam

giam istam inde ab ætate apostolorum subinde ruisse in deterius & noua se forma conspiciendam præbuisse?

2. Notatu digna est ea *analogia*, quæ Valentinianorum *theoriae pseudo-mythicæ*, seu Kabbalisticæ, cum ipsa *vita impuritate* intercessit. Nam quemadmodum theoria ipsorum impura in diuinis mysteriis ad *syzygias* retulit fere omnia; sic eadem in *vita* eiusmodi genuit defenditque *syzygias* utriusque sexus, quibus nihil esse poterat turpius.

3. Non omnes Valentiniani promiscue & sine discrimine hac flagitiosæ vitæ infamia laborarunt. IRENAEVS enim semel atque iterum loquitur de quibusdam ex illis. Quid? quod AVGVSTINVS loco iam supra allegato, nimirum de Hæres. c. XII. dicat: *Secundiani hoc a Valentinianis (nimirum reliquis) distare dicuntur, quod addunt opera turpitudinis.*

§. XIX.

Ceterum ipsos etiam reverendos patres in notandis exaggerandisque hæreticorum sceleribus & nefandis mysteriis nimium fuisse credulos & operotos, ex multis antiquitatis indiciis constat, quæ inde in medium videas prolata a KORTHOLTO de pagano obtrectatore L. III. c. IX. Conf. cel. BVDEVS differt. de hæresi Valentiniana §. XIII. KORTHOLTO & aliis hac in parte *quodammodo*. Vide etiam DESIDERIVM HERALDVM in not. ad Minut. Felicem p. 76. qui omnia falsa pronuntiat; quod tamen affirmare nollem. Circa finem vero seculi quarti Valentinianorum sectam cum omnibus surculis suis fuisse extinctam, e GREGORIO NAZIANZENO obseruat TILLEMONTIVS Memor. hist. eccles. T. III. P. II. p. 150. Conf. THEODORETVS Hæret. Fab. L. I. c. XVI. Suo tamen tempore adhuc reliquias aliquot huius hæreseos in Aegypto extitisse, auctor est EPIPHAN. Hæres. XXXI. n. VII.

MEM.

MEMBRUM II.

DE

SATVRNINO, BASILIDE,
CARPOCRATE, ELXAI, PRODICO, ALIIS-
QUE GNOTICIS ET GNOTICO-
RVM COLLVVIE.

Σύνοψις.

DE Saturnino & Basilide coniun-
ctim. §. I.

Seorsum de Saturnino §. II. &
Basilide §. III.

Quorum utrumque Gnosticis an-
numerandum esse probatur §. IV.

Porro de Carpocrate §. V. & El-
xai §. VI.

Item de Adamianis, & eorum
auctore Prodico. §. VII.

Nec non de sic dictis Abelitis &
Sethianis, ac Ophitis §. VIII.

Et de Alogis §. IX.

Subiungitur quaestio de Thy-
seis epulis, an haec Gnosticis sint tri-
buenda? §. X.

§. I.

AD Gnosticos nonnullos, reliquis adhuc famosiores
quod attinet, audiamus ante alios EVSEBIVM L.
IV. c. VII. de Saturnino & Basilide hæc memorantem:
Ex Menandro illo, quem Simonis successorem fuisse supra retuli-
mus, exorta venenata quædam bestia bilinguis ac biceps duarum
hæresium inter se discrepantium duces constituit: Saturninum,
domo Antiochenum, & Basilidem Alexandrinum. Quorum il-
le quidem in Syria, hic vero apud Aegyptium impie doctrine
scholas condidit. Et Saturninum quidem eadem cum Menan-
dro eminentem esse, declarat Irenæus: Basilidem vero specie
arcanorum quorundam portentosas fabulas commentum opi-
nionis impie machinamenta in immensum extendisse. Porro
cum eodem tempore plurimi ecclesiastici viri patrocinium veri-
tatis susceperunt & pro ecclesiastica apostolicaque doctrina de-

C 3

ser-

ferriſſime decertarent, nonnulli etiam aſſertiones ſuas, ſcriptis proditas, tamquam remedia ad cauendas ſupra dictas hæreſes comparata, poſteris reliquerunt. Ex quibus peruenit ad nos Agrippæ Caſtoris, ſcriptoris eo ætate nobiliſſimi validiſſima aduerſus Baſilidem confutatio, in qua hominis præſtigie & fraudes deteguntur. Dumque cuncta eius arcana proferit in lucem, quatuor & viginti libros in Euangelium ab iſto conſcriptos memorat, ipſumque ſibi prophetas conſinxiſſe, Barcabam & Barcoph, aliosque nonnullos, qui nunquam exſiſtiſſent, iisque barbara quedam nomina impoſuiſſe ad peccellendos eorum animos, qui huiusmodi rerum admiratione capiuntur. Ait præterea; illum docere, quod indifferens ſit victimas diis immolatas deguſtare, & perſecutionum tempore licenter ſilentium abnegare: Sectatoribus quoque ſuis Pythagoreorum ſilentium quinquenni cum indicere affirmat. u. τ. λ.

§. II.

Hæc de vtroque, Saturnino & Baſilide, EUSEBIUS. Plura de Saturnino tradit IRENAEUS L. I. c. XXII. TERTULLIANUS de anima c. XXIII. PHILASTRIUS de hæreſibus c. XXXI. EPIPHANIUS Hæref. XXIII. THEODORETUS Hæreticar. fabular. L. I. c. III. AUGUSTINUS de Hæreſibus c. III. E quibus conſtat, Saturninum cum aſſectis ſtatuiſſe duo principia, ſeu duos deos, vnum angelorum conditorem, alterum Iudæorum Deum; angelos vero ſeptem mundum & hominem condidiſſe; eſſe duo hominum genera, vnum naturæ bonum, alterum natura malum; reſurrectionem carnis fore nullam, aliquam tamen ſcintillam homini diuinitus immiſſam ad ſuperos reuerti; prophetias partim ab angelis mundi opificibus, partim a ſatanaproſectas, & ab hoc etiam liberorum procreationem ortum ſuum habere; ab eſu animatorum abſtinendum eſſe; Chriſtum autem non habuiſſe veram humanam naturam, ſed tantum formam eius, ipſumque ad deſtruendum Iudæorum Deum veniſſe, Ceterum notandum eſt, hunc SATVR;

TVR;

TURNINUM ab Epiphanio & Theodoretō Saturninum vocari.

§. III.

De *Basilide* præter EUSEBIUM videatur IRENAEUS L. I. c. XXII. THEODORETUS Hæret. Fabul. L. I. c. IV. EPIPHANIVS hæresi XXIV. AUGUSTINUS Hær. c. IV. qui, quæ alii prolixius tradunt, brevius contracta his memorat verbis: *Basilidiani a Basilide, qui hoc distabat a Simonianis, quod trecentos sexaginta quinque celos esse dicebat, quo numero dierum annus includeitur. Vnde etiam, quasi sanctum nomen, commendabat Βασίλειος: cuius nominis litteræ secundam Græcam supputationem eundem numerum complent. Mundum istum, vel hominem, non credunt a Deo factum, sed a trecentesimo sexagesimo quinto celo. Amatoria carmina studiose discunt. A Iudeis non credunt Christum crucifixum, sed Simonem Cyrenensem, qui angariatus sustulit crucem eius. Vide DANAEUM in h. l. De ætate Basilidis pluribus egit PEARSONIUS in *Vindic. epist. Ignar.* Part. II. c. 7. ubi eum ad seculi primi finem & ad secundi initia refert. Cui tamen chronotaxi LORROQUANUS in *Observat.* ad *Vindic. Ignar.* p. 253. sequi. varia opponit, existimans, Basilidis hæresin demum sub Hadriano sparsam esse. De barbaro Dei nomine *Abraxas*, eiusque mysterio in numeris quaesito vid. THOM. ITTIGIUS *Disser.* de hæres. Sect. I. c. 2.*

§. IV.

Vtrumque vero, Saturninum & Basilidem, *Gnosticis* esse annumerandum, liquet e iactata mysteriorum, quæ tamen potius erant chimææ & agræ mentis somnia, cognitione, & ex analogia diversarum doctrinarum, quas cum Gnosticis reliquis, & inter eos etiam cum Valentianis, communes habuerunt. Quid? quod EUSEBIUS in *Chronico* ad annum Chr. 136. scribat: *Basilides hæresiarcho*

archa Alexandria commoratur; unde Gnostici. Et eosdem etiam ad Nicolaitarum sectam pertinuisse, ex iis manifestum est, quæ paulo ante de iisdem ex EUSEBIO prolata & iam ante eum ab aliis memorata sunt. Isidori, filii Basilidis, tanquam Valentiniани hæretici, iam supra c. I. membr. 1 §. XV. facta est mentio.

§. VI.

Sequitur nunc apud EUSEBIUM I. c. CARPOCRATES, de quo hæc habet: *Etiam Carpocratem quendam iisdem vixisse temporibus, scribit Ireneus, alterius sectæ, quæ Gnosticorum dicitur, patrem. Hi magicas Simonis præstigias non clam, ut ille, sed palam ac publice tradendas esse censebant: & philtis arte magica curiose elaboratis, paretris quoque & somniorum immissoribus spiritibus aliisque huiusmodi maleficis, tanquam maximis & pulcherrimis rebus, gloriabantur. Consequenter etiam docebant, quicumque ad perfectionem mysteriorum, seu potius flagitiorum, quæ apud ipsos committebantur, peruenire vellent, eos turpissima quæque perpetrare oportere: quippe qui mundi huius principes ac rectores, ut ipsi vocabant, aliter evitare non possent, nisi unicunque eorum debita munera per obscœnissimam libidinem persoluisent &c. &c. Ex quo videmus, Carpocratem adeo non esse eximendum a Gnosticorum colluie, ut Eusebio pro Gnosticorum patre sit habitus. Id quod tamen minus accurate dictum esse existimo; quemadmodum idem eadem ἀνομοσύνη Eusebium de Basilide in Chronico suo posuisse, paulo ante vidimus. Quandoquidem vero Carpocrates, (quem nonnulli Carpocratem vocant) Christum habuisse perhibetur pro nudo homine, e Iosephi femine natum, & libidinem pro re licita; facile colligitur, eum cum affectis suis hæreseos Cerinthianorum & Nicolaitarum fuisse propaginem. Plura de eo subministrant IRENAEUS L. I. c. 24. CLEMENS Alex. Strom. L. III. opp.*

p. 428. seqq. TERTULL. de anima c. 23. PHILASIR. de hæref. c. 35. EPIPHAN. hæref. XXVII. AUGUSTIN. de hæref. c. 7. THEODORET. Hæret. fab. LI. c. 5. Auctor *Prædestinati* c. 7. Sectæ huic addicta fuisse dicitur *Marcellina*, quæ, vti AUGUSTIN. c. 1 perhibet, promiscue coluit imagines Iesu & Pauli & Homeri, adorando, incensumque ponendo. De filio eius, Epiphane, paternæ matæologiæ hærede & propagatore, tanquam sectatore Valentiniano, vidimus supra membr. I. §. XV.

§. VI.

Ad tres istos recensitos accedit quartus hæreticus, qui est ELXAI, a quo dicti sunt ELCESAI, seu HELCESAEI, aut HELCESAITAE: quos EPIPHANIVS Hæref. XIX. n. I. ad Traiani, EVSEBIVS vero L. VI. c. 38. ad Origenis tempora, vt recens exortos, allegatis eiusdem verbis refert, ELXAI doctrinam sic describens: *Ex vniuerso sacrae scripturae canone quædam reiicit; quibusdam vero vititur testimonis tum ex veteri instrumento, tum ex Evangelio. Paulum quidem Apostolum integrum repudiat. Docet præterea, indifferentem rem esse Christum abnegare, & eum, qui sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine negaturum esse, sed non ex animi sententia. Librum etiam proferrunt, quem e caelo delapsum affirmant, eosque, qui auscultauerint illi & crediderint, peccatorum veniam consecuturos, & quidem diuersam ab illa peccatorum remissione, quam Iesus Christus impertit.* Hæc ille. Quæ si vera sunt, iste ELXAI, cum affectis suis, manifestis potius religionis christianæ irrisoribus, quam hæreticis, fuisset annumerandus. Eo certe minus in hæreticorum catalogum cum suis debet referri, quia EVSEBIVS ibidem de hac hærefi commemorat, eam simul esse natam & extinctam. Videantur de ea præter Epiphanium THEODOR. hæret.

D

fab.

fab. L. II. c. 7. AVGVSTIN. de Hæres. c. 32. Conf. NI-
CEPHORVM L. V. c. 24. Et eadem mihi videtur ratio
esse ANTITACTORVM, ex eo, quod Dei ordinationi-
bus, in scriptura sacra præscriptis, se opposuerint, sic di-
cti. De quibus vide THEODORETVM Hæret. fab. L. I.
c. 19. Conf. CLEM. Alex. Strom. L. III. item PERATA-
RVM, a regione sic vocatorum. Vid. THEODORE-
TVM qui l. c. c. 17. eos Antitactis proxime subiungit.
Conf. CLEM. Alex. Strom. L. VII. opp. p. 765. De
MONOIMO, cum præter nomen, & illud, quod ex
Arithmetica formandæ hæreseos occasionem sumserit, ni-
hil referat THEODORETVS H. Fab. L. I. c. 20. & taceant
alii, mihi multo magis nunc tacendum est.

§. VII.

Adamiani, seu *Adamitæ*, auctore PRODICO, sic
dicti sunt, quod in cœtibus suis, Adami nondum lapsi sta-
tum imitaturi, nudi inceserint. Dicuntur, coniugio id-
eo, quod Adamus illud cum Eua demum post lapsum extra
paradisum inierit, improbato, promiscuis libidinibus in-
dulsiſſe. Videatur de hisce EPIPHANIVS Hæres. LI.
AVGVSTIN. hæres. xxxi. THEODORETVS hæ-
ret. fab. L. I. c. 6. qui addit, Prodicti sectatores semet *Gno-*
sticos falso nomine appellasse. Vti vero alias sæpius, sic
etiam in notandis Adamianis, parum constare sibi hære-
siologos, vel inde liquet, quod CLEM. Alexandr. Strom.
L. VII. opp. p. 722. adserit, *Prodicti sectatores statuisse non*
esse orandum: & præter alios nonnullos AVGVSTINVS
ipsis c. l. precum exercitium tribuat: *Nudi, inquit, ma-*
res femineque conueniunt, nudi lectiones audiunt, nudi o-
rant, nudi celebrant sacramenta. Et ex hoc paradisum su-
am arbitrantur ecclesiam. Quod si ex Adamianis seculi XII,
quos hæresiologia Pontificiorum confinxit, de veteribus
illis esset iudicandum, res rediret ad fabulam & ad scœmma.
Vnde

Vnde miror, virum doctissimum, THOMAM ITTIGI-
VM, veteres istos Adamianos Gnosticos, quos tales, qua-
les describuntur, cum eodem nunc suppono, comparasse
cum nouis istis, quos Bohemia habuit. Dissert. de Hære-
siarch. Sect. II. c. 4 §. 3. vbi ait: *Resuscitauit turpissimam*
hanc sectam seculo XV in Bohemia Picardus quidam, qui cum
ex Gallia Belgica in Bohemiam venisset, prestigijs quibusdam
fidem sibi conciliauit & cum affectis suis insulam quandam oc-
cupauit. Dixit autem, se Filium Dei esse & Adam vocari.
Quæ quando scriptorum Pontificiorum iudicijs proban-
tur, anne hoc idem sit, ac Phariseorum effatis contra A-
postolos & sinceros Christi cultores fidem habere? vide-
rint alii.

§. IIX.

His per nouam nouæ hæreseos fictionem ab AUGU-
STINO deinceps additi sunt *Abelise*, seu *Abellonii*, sed ad
seculum quartum demum referendi. Nec faniora viden-
tur, quæ apud PHILASTR. de hæres. c. 3. AUGUSTIN.
c. 19. de *Sethianis*, seu *Sethiis*, qui Sethum pro Christo ha-
buerint, traduntur. Et cum secundum THEODORE-
TUM hæret. fab. L. I. c. 14. Sethiani iidem sint, qui *Ophiani*,
seu *Ophitæ*, a serpente paradisiaco, quem pro Christo
habuisse, & pro numine coluisse perhibentur, sic dicti; si-
mul liquet, quid de his, per quos tamen alii hæresiologi
hæreticorum catalogum itidem nouo numero auxerunt,
statuendum sit; inprimis cum ipsorum recensiones inter se
non cohæreant, ne in eo quidem, vnde *Ophitæ* nomen
suum acceperint. Quorum deliria quando pro more suo
operose refutat EPIPHANIUS hæres. XXXVIII, circa æ-
gorum somnia inaniter est occupatus. *Gnosticos*, si ex-
stiterunt vnquam, fuisse illos, ex eo liquet, quod multa de
æonibus sunt fabulati. Conf. de iisdem IRENAEUM
L. I. c. 34. AUGUSTIN. de Hæres. c. 17. Auctorem Præ-

destinati hæref. 17. Omnium autem prudentissime ORIGENES contra Celsum Libro VI. negat, Ophianos christianos fuisse; quippe qui in sodaliticum suum adsciuerint neminem, nisi prius Iesum fuisset execratus. Ut eo magis constet, quam inepte Ophiani hæreticis sunt annumerati, audiamus ipsum ORIGENEM: *Ophiani tantum abest, ut Christi sine sectatores, ut nihil minus, quam Celsus hic; nec eorum quispiam in concilium prodeat, nisi execrationes & maledicta in Iesum prius congesserit. Aduerte autem, quam temere in his egerit Celsus; quæ aduersus christianos oblatrat, quandoquidem cum nostræ religionis hominibus Ophianos istos contulerit, qui ne Iesu quidem velint vel nomen audire.* Vide ibidem multa plura.

§. IX.

Ab his pergimus ad A LOGOS, sic dictos ex eo, quod λόγος illum a Iohanne prædicatum, negata simul diuinitate Christi, repudiarunt, ideoque ipsa Ioannis scripta non receperunt pro diuinis. Videatur de hisce EPIPHANIUS Hæref. LI. PHILASTRIUS de hæref. c. 60. AUGUSTINUS de hæref. c. 30. & Auctor Prædestinati itidem c. 30. DAMASCENUS de hæref. c. 50. Hæreticis hisce speciatim annumeratur THEODOTUS Byzantinus, de quo vide auctorem antiquum, h. e. *Cajum* seu *Gajum*, presbyterum ecclesiæ Romanæ apud EUSEB. L. V. c. 28. item THEODOTUM hæret. fab. L. II. c. 5. EPIPHAN. Hæref. LIV. AUGUSTIN. Hæref. xxxiii. & præter hærefeologos CLEM. Alex. in Epitomis & fragmentis doctrinæ THEODOTI sub finem operum p. m. 789. seqq. Sed hic ipse iam supra Membr. I. §. XVI. ad ductum veterum Valentinianis est annumeratus. Conf. PEARSONIUM
in

in *Vindiciis Epist. Ignat.* Part. II. c. 2. Sine vlla vero necessitate Alogis, aucto hæresium numero, peculiaris locus in hæresiologiis est assignatus, cum Cerinthianis fuissent annumerandi. Et idem sentiendum est de ARTEMONE, seu ARTEMA; de quo vide *Cajum* apud EUSEBIUM L. V. c. 28. & THEODORET. hæret. fab. L. II. c. 4. vbi eum ideo Cerintho proxime subiungit, Quam temere DANIEL ZUICKERUS, auctor Irenici Irenicorum Socinianus, ad horum hæreticorum traditionem & auctoritatem prouocauerit, ostensum vide a COMENIO in *Admonitione de Irenico irenicorum.* p. 129. seqq.

§. X.

Ceterum non immerito hic quæritur, an hæreticis adscribenda sint turpissima ista sic dictarum *Thyestearum epularum & Oedipodei concubitus* facta, quæ genuinis christianis fuerunt imputata; & ita quidem, vt calumniæ istæ multæ & gravissimæ diuexationis causa extiterint. Quod si non nullos quarti & quinti seculi scriptores respicias, affirmanda cum illis esset quæstio. Enim vero, etsi inter huius seculi hæreticos, maxime Gnosticos, nequaquam defuerint eiusmodi carcinomata, quorum vita non minus fuit inquinata, quam mens ipsa, vt iam supra sub finem membri I. de Valentinianis dictum est; eos tamen nefanda Thyestearum epularum sacra, qualia christianis imputabantur, cum adiuncto incesto concubitu celebrasse, hoc est, quod contra nonnullorum quinti in primis seculi nimis credulam assertionem ex instituto negat vir in antiquitatis ecclesiasticæ monumentis verfatissimus, B. CHRISTIANUS KORTHOLTUS de *pagano obirectore* L. III. c. 9. his motus rationibus longa serie adductis &

contra nonneminis contradictionem solide vindicatis; quod de illis hæreticorum sceleribus altum sit apud veteres christianæ fidei athletas silentium, quando istorum flagitiorum exprobrationem a se amoliuntur; qui eam procul dubio ad hæreticos fuissent relaturi, si hos istorum nouissent esse reos. Porro quod alii ea in dubium vocent; & alii ne crediderint quidem, talia ab vllis mortalium committi; & quod illi ipsi, quorum narratione ista imputata nitantur, e vulgari rumore potius, quam e certa cognitione scripserint. Videatur de his ipse auctor.



CO-



COROLLARIA RESPON- DENTIS.

I.

AXioma candidatorum ministerii
ecclesiastici: *petere licet*, in ho-
dierna praxi consideratum, prodit
cursores *ἀποκλήτης* & futuros mercena-
rios.

II.

Appetere munus ecclesiasticum
est *Theologiae studio operam dare*,
&, pro hodierno ecclesiae statu, suf-
ficientem suam *ἰκανότητα* non solum pri-
uatim in decenti conuersatione
multis, sed, in solum ædificationis
sco-

scopum, oblati habitisque concio-
nibus, etiam publice integris coeti-
bus probare.

III.

Ultra hos petitionis limites qui
procedit, prodit nimiam & confi-
dentiam & diffidentiam: *confiden-*
tiam de se ipso: *diffidentiam* erga
Deum, eiusque prouidentiam.

IV.

Deismus, qualem contra ratio-
nem & reuelationem nonnulli com-
miniscuntur, ipso atheismo est de-
terior, saltem nocentior.

V.

Omnis atheus est stultus & simul
miser; & in summo quidem gradu,

VI.

Atheismo patrocinari est sanæ
rationis vsum exuere.



Fg 6179


ULB Halle
002 675 65X


3



[Faint handwritten notes in blue ink]







13d

OGDOADIS DISSERTATIONVM
DE
HAERESIOLOGIA
SECVLI POST CHRISTVM NATVM PRIMI
ET SECVNDI,
QVINTA
DE
GNOSTICIS,

PRAECIPVE
VALENTINIANIS,
ET
RELIQVA ISTORVM COLLVIE:

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
DIE IVNII HVIVS MDCCXXV ANNI,
PRAESIDE

D. IOACHIMO LANGIO,

S. THEOL. PROFESS. ORDIN.
publicæ disquisitioni subiicit
RESPONDENS,

IOANNES HENRICVS BOECKER,

HATTNEGENSIS MARCANVS.
S. THEOL. CVLTOR.

KALAE MAGDEB. TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.